

## «INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

### *De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (29)*

#### *4.10.2.3. De fundatione in insulis Philippinis facta*

Congregatio Ottiliensis annis vicesimis saeculi vicesimi non solum in America (meridionali et septentrionali) fundationes instituere conata est, sed etiam in oriente Asiano éadem incepit quoddam incohavit.

Nam ex insulis Philippinis anno 1923<sup>o</sup> ab Manilensi archiepiscopo Michaele [Michele] O'Doherty rogatio allata est, quā īdem ab Ottilianis auxilium in curā animarum petivit et etiam aream quandam ad fundationem faciendam promisit.<sup>1</sup> In initio videtur etiam sermo fuisse de scholā opificum ibīdem instituendā.<sup>2</sup> Quae cogitatio per se non erat mala, cum multi Fratres missionarii, qui post primum bellum mundanum ex Africā orientali expulsi erant, adhūc in Germaniā versabantur.<sup>3</sup> Propositum autem archiepiscopi Manilensis mense Ianuario anni 1923<sup>i</sup> in Capitulo speciali acceptum est.<sup>4</sup> Nam ex hac quoque novā fundatione - ut ex conexū Capituli apparet - exspectabatur missiones iam existentes aliquo modo sustentari atque adiuvari posse.

Primi, qui in insulas Philippinas missi sunt, ut condiciones inspicerent atque fundationem praepararent erant P. Eleutherius Lechner et P. Urbanus Briechle.<sup>5</sup> Idem autem die 28<sup>o</sup> m. Mart. a. 1923<sup>o</sup> ad novum locum operandi profecti

---

1 Cfr Leander BOPP: St. Ottilien - 50 Jahre Abtei. St. Ottilien 1952, p. 68 (ASO, D II); Frumentius RENNER: San Benito in Dinalupihan. In: Leuchter 4 (1993), p. 253; Frumentius RENNER: Mutterabtei St. Ottilien und Entfaltung der Kongregation. In: Leuchter 2 (1992), p. 31; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, p. 133; Beda DANZER: Die Benediktinerregel in der Übersee. St. Ottilien 1929, p. 45; Frumentius RENNER: Gründungen in Süd- und Nordamerika. Notlage und Notlösungen der zwanziger Jahre. In: Leuchter 4 (1993), p. 277; Cyrillus WEHRMEISTER: Die Benediktinermissionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 1939, p. 117; Cyrillus WEHRMEISTER: Die Entwicklung der Erzabtei und der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. In: Lumen Caecis. St. Ottilien 1928, p. 170.

2 Cfr Missionsblätter 28, 1924, p. 68, ubi talis schola ut realis commemoratur. - Cfr etiam Beda DANZER (1929), p. 45.

3 Missionariis Germanis demum inde ab anno 1926<sup>o</sup> Africam orientalem denuo intrare licuit.

4 Beschlüsse des Spezialkapitels, 22.1.1923, § 3 (ASO, K.3.1).

5 Cfr Theodulf HASEIDL: Gründung, Sinn und Zweck von San Benito, Dinalupihan, Philippinen (s.a.), p. 1 (breve typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum (ASO, Z.1.Asien 2 b)); Leander BOPP (1952), p. 68 (ASO, D II); Frumentius RENNER: San



P. Eleutherius Lechner.  
[ASO, A.1.1.2, PA Lechner.]

sunt.<sup>6</sup>

Archiepiscopus Manilensis in rogatione suā promiserat se Ottilianis aream quandam praebiturum esse. Illa vero area sita erat non longe ab oppido Dinalupihan, quod circiter octoginta chiliometris ab urbe Manila distabat, et éadem circiter centum viginti hectareas habuit.<sup>7</sup> Cum autem P. Eleutherius et P. Urbanus Manilam pervenirent, nihil praeparatum fuisse videtur. Hōc in conexū scitū vere digna sunt ea, quae P. Eleutherius ipse mense Augusto a. 1924<sup>i</sup> rettulit.<sup>8</sup> Inde comperimus unā ex parte archiepiscopum contractum areae locandae subscribere diu procrastinavisse dicens «*verbum archiepiscopale sufficere*», alterā ex parte pecuniam non fuisse ad manum et ex his causis etiam diutius nullam domum exstisset, in quā grex Ottilianus, qui iam erat in itinere in insulas Philippinas, colligi posset. Propter tales condiciones iam paene desperatus P. Eleutherius Lechner aliquando disputationem satis vehementem cum archiepiscopo habuit, quā effectum est, ut ipse

---

Benito. In: Leuchter 4 (1993), p. 253. - Fr. Theodulfus Haseidl (1907-1997) inde ab anno 1930<sup>o</sup> in insulis Philippinis cooperatus est, antequam anno 1940<sup>o</sup> in Apostolicum Vicariatum Yenki missus est.

P. Eleutherius Lechner triginta duos annos natus iam anno 1915<sup>o</sup> sacerdotio auctus erat et tempore missionis munere cellararii auxiliaris in monasterio Ottiliensi functus est; P. Urbanus Briechle triginta unum annos habuit atque anno 1921<sup>o</sup> sacerdotium suscepit. Dicitur idem optimam indolem loquelarem habuisse. P. Urbanus anno 1940<sup>o</sup> in Venetiolam missus est.

6 Cfr Leander BOPP (1952), p. 68 (ASO, D II); Frumentius RENNER: San Benito. In: Leuchter 4 (1993), p. 253 solum scribit fuisse in fine mensis Martii a. 1923<sup>i</sup>. - In Ottiliensi Necrologio 2000 (p. 25, nr 133; p. 70, nr 556) legitur eos die 24<sup>o</sup> m. Mart. a. 1923<sup>o</sup> mandatum missionis accepisse.

7 Hanc dimensionem indicat Theodulf HASEIDL: Gründung, Sinn und Zweck von San Benito (s.a.), p. 1 (ASO, Z.1.Asien 2 b). Aliter apud Frumentium RENNER: San Benito. In: Leuchter 4 (1993), p. 254 legitur fuisse 1200 hectareas. Quis eorum erraverit, nescio. Tamen Fr. Theodulfus Haseidl ipse in insulis Philippinis cooperatus est. Praeterea videtur area 1200 hectararum satis magna esse.

8 Cfr epistula Eleutherii Lechner die 5 m. Aug. a. 1924 ad Adalricum Mühlebach directa (ASO, Z.1.Asien 2 b).

pecuniam promissam acciperet atque archiepiscopus contractum ad Archiabbatiam Ottiliensem mitteret. Sic P. Eleutherius et P. Urbanus labores in areā conductā die 27<sup>o</sup> m. Apr. a. 1924<sup>o</sup> aliquatenus incohare potuerunt.<sup>9</sup> Tamen area, quā usi sunt, tantummodo erat conducta neque possessio Ottilianorum. Fortasse haec condicio quoque erat unum ex problematis huius fundationis.

Mense Aprili a. 1924<sup>i</sup> grex illorum Ottilianorum, qui cooperatores novae fundationis destinata erant, ex Germaniā profecti sunt. Iidem die 21<sup>o</sup> m. Maii a. 1924<sup>o</sup> in insulas Philippinas advēnērunt.<sup>10</sup> Erant autem hi:<sup>11</sup> P. Franciscus Harder, Fr. Fridericus Stöckel, Fr. Robertus Gregg, Fr. Anastasius Stockert. Illi quattuor antea iam fuerant missionarii in Africā orientali.<sup>12</sup> Praeterea ad hunc gregem pertinebant Fr. Callistus Greß, Fr. Gabriel Weigand, Fr. Eusebius Lohmeier, Fr. Stephanus Gnann, Fr. Methodius Liefländer, Fr. Otto Oblinger.



P. Urbanus Briechle.

[Ottiliense archivum imaginum.]

9 Cfr epistula Eleutherii Lechner die 5 m. Aug. a. 1924 ad Adalricum Mühlebach data (ASO, Z.1.Asien 2 b).

10 Cfr epistula Eleutherii Lechner die 5 m. Aug. a. 1924 ad Adalricum Mühlebach data (ASO, Z.1.Asien 2 b). - Ipsum annum 1924<sup>um</sup> etiam indicat Theodulf HASEIDL: Gründung, Sinn und Zweck von San Benito (s.a.), p. 1 (ASO, Z.1.Asien 2 b). - Beda DANZER (1929), p. 45 non ita exakte scribit hunc gregem iam anno 1923<sup>o</sup> profectum esse.

11 Nomina exhibet Theodulf HASEIDL: Gründung, Sinn und Zweck von San Benito (s.a.), p. 1 (ASO, Z.1.Asien 2 b).

12 Postquam nonnullos annos in insulis Philippinis cooperati sunt, Fr. Fridericus Stöckel anno 1929<sup>o</sup> (cfr Necrologium 2000, p. 43, nr 295), Fr. Robertus Gregg et Fr. Anastasius Stockert anno 1930<sup>o</sup> (cfr Necrologium 2000, p. 67, nr 527 et p. 68, nr 144) in Africanam regionem missionariam Lindiensem reverterunt. - Ceterum idem erant opifices specialistae, qui in ipsa regione missionaria magis necessaria erant quam in fundatione in insulis Philippinis factā.

Indicia Theodulfi HASEIDEL: Gründung, Sinn und Zweck von San Benito (s.a.), p. 2 (ASO, Z.1.Asien 2 b) videntur non ita exacta esse, qui scripsit hos omnes anno 1926<sup>o</sup> in Africam revertisse.



*A sinistris: 1 ..., 2 Fr. Eusebius Lohmaier, 3 ..., 4 P. Eleutherius Lechner, 5 Fr. Otto Oblinger, 6 Fr. Anastasius Stockert, 7 Fr. Fridericus Stöckel, 8 Fr. Robertus Gregg.  
[Ottiliense archivum imaginum.]*

Cum hi cooperatores adessent, labores revera incohari potuerunt. Necessarium imprimis erat, ut area praepararetur. Nam locus aptus ad domum habita-



*A sinistris: 1 ..., 2 Fr. Eusebius Lohmaier, 3 Fr. Robertus Gregg, 4 Fr. Anastasius Stockert, 5 P. Urbanus Briechle, 6 Fr. Otto Oblinger, 7 ..., 8 P. Eleutherius Lechner, 9 P. Franciscus Harder.\*  
[Ottiliense archivum imaginum.]*

tionis aedificandam inveniri debuit, quā de causā etiam viae struendae atque pontes exstruendi erant. In initio ergo mediā in areā duae parvae domunculæ stramento tectae erigebantur, quod «monasteriolum» Sancto Benedicto dicatum erat [San Benito]. Magni autem momenti erat, quod tertia pars areae



*Fundatio Sancti Benedicti in insulis Philippinis facta.  
[Ottiliense archivum imaginum.]*

exstirpanda erat, ita ut monachi eādem revera uti valerent.<sup>13</sup> Spatio enim loci indigebant ad agriculturam quandam instituendam. Nam illud propositum supra commemoratum alicuius scholae opificum, quam Ottiliani susciperent, iam erat abolitum, cum grex cooperatorum adhuc esset in itinere. Itaque aliquid aliud inveniendum erat, quo monachi pecuniam mereri et vitam sustentare possent. Eā de causā praedium rusticum instituere et cannas sac-

---

13 Cfr epistula Eleutherii Lechner die 5 m. Aug. a. 1924 ad Adalricum Mühlebach directa (ASO, Z.1.Asien 2 b); Theodulf HASEIDL: Gründung, Sinn und Zweck von San Benito (s.a.), p. 1 (ASO, Z.1.Asien 2 b); Frumentius RENNER: San Benito. In: Leuchter 4 (1993), p. 254.

\* ) In ipsis photographematis, in quibus grex monachorum exhibetur, non indicatur, quando eādem recepta sint. Sed tempus aliquātenus concludi potest, quia grex Ottilianorum mense Maio a. 1924<sup>i</sup> advenerat et P. Eleutherius Lechner, qui quōque in photographematis conspicitur, mense Novembri eiusdem anni vitā iam functus est.

chariferas colere decernebatur.<sup>14</sup>

Tamen hōc inceptum non omnino facile ad effectum adducebatur. Nam quamvis pecunia non satis sufficienter adesset, machinae instrumentaque erant emenda, domūs erant exstruendae, pretium, quod ad conductionem areae spectabat, erat solvendum et sic porro. Ad haec omnia facienda aes alienum contrahebatur, quod demum post plures annos gravibus laboribus exhibitis paulatim reddi potuit.<sup>15</sup> Initium ergo huius fundationis erat modestissimum atque pauperrimum. Sub hōc aspectū etiam deliberandum est, quam efficaciter hac fundatione pecunia pro regionibus missionariis acquiri potuerit. Nihilominus Ottiliani praeter labores in praedio exanclandos etiam id fecerunt, propter quod imprimis vocati erant, nempe curam animarum. Sic ex. gr. P.ri Urbano Briechle iam anno 1924<sup>o</sup> paroecchia Hermosa tradita est, quam per undecim annos curavit.<sup>16</sup>

Sed praeter condiciones pecuniarias etiam aliae difficultates satis magnae exoriebantur, quae cum climate cohaerebant. Nam in illā regione palustri, in quā praedium atque monasteriolum situm erat, et malaria et alii morbi vigeabant, quibus Patres Fratresque saepius afficiebantur atque debiliebantur. Calamitas autem facta est, cum P. Eleutherius Lechner, qui erat Superior fundationis, iam die 20<sup>o</sup> m. Nov. a. 1924<sup>o</sup> ex improviso vitā functus est.<sup>17</sup> P.re Eleutherio Lechner mortuo eum Superiorem deinde secutus est P. Franciscus Harder.

Quaedam aliae mutationes, quod attinebat ad monachos cooperantes, annis insequentibus praeterea factae sunt. Sic iam mense Novembri a. 1926<sup>i</sup> Fr.

---


14 *Cfr* Theodulf HASEIDL: Gründung, Sinn und Zweck von San Benito (s.a.), p. 1 (ASO, Z.1.Asien 2 b); Cyrillus WEHRMEISTER (³1939), p. 117; Frumentius RENNER: San Benito. In: Leuchter 4 (1993), p. 254.

15 De aere alieno *cfr* Theodulf HASEIDL: Gründung, Sinn und Zweck von San Benito (s.a.), p. 2 (ASO, Z.1.Asien 2 b); Frumentius RENNER: San Benito. In: Leuchter 4 (1993), p. 255.

16 *Cfr* Theodulf HASEIDL: Gründung, Sinn und Zweck von San Benito (s.a.), p. 2 (ASO, Z.1.Asien 2 b); Frumentius RENNER: San Benito. In: Leuchter 4 (1993), p. 255.

17 *Cfr* Necrologium 2000, p. 25, nr 133. - Leander BOPP (1952), p. 68 (ASO, D II) et Frumentius RENNER: San Benito. In: Leuchter 4 (1993), p. 254 solum mensem Novembrem illius anni indicant. Frumentius Renner ibidem quidem scribit causam mortis non omnino esse claram, sed suspicandum est eandem cohaerere cum malis condicionibus climatis.

Callistus Greß vix viginti annos natus vitā functus est.<sup>18</sup> Iam antea advenerat P. Bonifatius Neumaier Svikkersperchiensis, qui missus erat, ut Fratribus laicis esset praepositus spiritualis.<sup>19</sup> Quidam Fratres inde ab anno 1929<sup>o</sup> ad opera missionaria denuo suscipienda in Africam orientalem reverterunt. Denique medio anno 1928<sup>o</sup> P. Petrus Wachter, qui antea secretarius Archabbatis Norberti Weber fuerat, ad monasteriolum Sancti Benedicti vēnit,<sup>20</sup> ut



*A sinistris: 1 Fr. Otto Oblinger, 2 P. Petrus Wachter, 3 Fr Theodulf Haseidl, 4 ..., 5 P. Urbanus Briechle.*

*[Ottiliense archivum imaginum.]*


- 18 *Cfr* Necrologium 2000, p. 27, nr 144. - Frumentius RENNER: San Benito. In: Leuchter 4 (1993), p. 255 eius mortem etiam breviter commemorat.
- 19 Hoc decernebatur in Capitulo speciali anni 1926<sup>i</sup>. - *Cfr* Bericht über die Sitzung des Spezialkapitels, gehalten im Ottilienskolleg in München am. 12. Januar 1926, p. 2 (ASO, K.3.1). - P.rem Bonifatium Neumaier anno 1926<sup>o</sup> in insulas Philippinas venisse commemorat quōque Theodulf HASEIDL: Gründung, Sinn und Zweck von San Benito (s.a.), p. 2 (ASO, Z.1.Asien 2 b).
- 20 Idem Kal. Maiis a. 1928<sup>o</sup> emissus est. - *Cfr* Necrologium 2000, p. 58, nr 447. - De facto ipso *cfr* Frumentius RENNER: San Benito. In: Leuchter 4 (1993), p. 254; Leander BOPP (1952), p. 68, qui annum non indicat; Theodulf HASEIDL: Gründung, Sinn und Zweck von San Benito (s.a.), p. 2 (ASO, Z.1.Asien 2 b), qui scribit Petrum Wachter anno 1926<sup>o</sup> venisse.

munere Superioris fungeretur. Tamen eius gubernio videtur ibidem non nimis propsera fuisse, cum eius modus ducendi communitati non prodesset.



*Nova domus in statu aedificandi.  
Photographemati manu titulus inscriptus est, qui est «Domus nostra». [Ottiliense archivum imaginum.]*

Alia autem mutatio, quae non erat nullius momenti, annis 1926<sup>o</sup> et 1927<sup>o</sup> instituebatur. Nam propter regionem palustrem, in quā domunculae monasterioli primo aedificabantur et in quā morbi variii generis exoriebantur, coeno-



*Cappella monasterioli Sancti Benedicti.  
[Ottiliense archivum imaginum.]*

bium in alium locum magis salubrem translatum est. Nam novum aedificium ligneum supra collem altitudinis triginta metrorum erigebatur, cui cappella quoque adiungebatur.<sup>21</sup>

De effectū pecuniario - qui erat scopus rei - ab initio huius fundationis incohatae quadamtenus dubitandum erat et etiam progressus difficilis nimis magnam spem non praebuit.<sup>22</sup> Cum Archiabbas Norbertus Weber secundum iter Asianum suum faceret, in initio anni 1925<sup>i</sup> etiam in insulis Philippinis atque in monasteriolo Sancti Benedicti versabatur, ut ibidem quoque visitationem exhiberet,<sup>23</sup> antequam inde ex mense Maio a. 1925<sup>i</sup> Coream visitaret. Hōc in itinere P. Petrus Wachter Archiabbatem comitatus erat.<sup>24</sup> Verisimiliter Norbertus Weber difficultates ibi vigentes animadvertisit, sed rem illo tempore iam finire omnino noluit, quia adhuc putavit fore effectum frugiferum.<sup>25</sup> Itaque post redditum in Capitulo speciali anni 1926<sup>i</sup> Archiabbas rettulit funda-

---

21 Cfr Theodulf HASEIDL: Gründung, Sinn und Zweck von San Benito (s.a.), pp. 1 sq. (ASO, Z.1.Asien 2 b); Cyrill SCHÄFER: Stella Maris. St. Ottilien 2005, p. 130, qui praeterea putat hanc translationem monasterioli fuisse effectum visitationis archiabbatialis.

22 Theodulf HASEIDL: Gründung, Sinn und Zweck von San Benito (s.a.), p. 2 (ASO, Z.1.Asien 2 b) scribit se «*numquam intellegere valuisse, quomodo monasterium missionarium ex populo paupere pecuniam extrahere voluisse.*» - Textus originaliter Theodiscus.

Iam anno 1925<sup>o</sup> episcopus Thomas Spreiter, cui omnia huiusmodi incepta displicuerunt, interdum etiam de novā fundatione in insulis Philippinis sententiam suam protulit. Sic ex. gr. epistulā die 10 m. Aug. a. 1925 ad Bonifatium Sauer directā (ASO, Z.3.0.1.19) scripsit hanc fundationem esse contra principia Congregationis, cum non esset missionaria, sed propter pecuniam acquirendam esset facta. Eandem opinionem ceterum habuit, cum ageretur de fundationibus in America meridionali incohatis. Et die 15 m. Sept. a. 1925 ad Placidum Vogel epistulam direxit (ASO, Z.3.0.1.5), quā aliquatenus irā correptus adnotavit Archiabbatem consultatores non auscultavisse, qui ei suaserant, ut fundationem in insulis Philippinis aboleret. Ipse subiunxit ibidem pecuniam non acquiri posse, sed eandem verisimiliter amissum iri.

23 Cfr Cyrill SCHÄFER (2005), p. 130, qui etiam refert maiorem partem commorationis Norbertum Weber ad pelliculas cinematographicas recipiendas adhibuisse.

24 Fortasse fructus huius commorationis erat symbola, quam Petrus Wachter libro festivo Archiabbbati Norberto Weber destinato contribuit. - Cfr Petrus WACHTER: Zur religiösen Lage auf den Philippinen. In: Lumen Caecis (1928), pp. 312 sqq.

25 Cfr Norberti Weber epistula die 28 m. Febr. a. 1926 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, Apr 420), ubi scripsit illo temporis momento, quo spes fructuum esset, fundationem in insulis Philippinis abolere esse nocivum.

Ceterum Bonifatius Sauer in epistulā die 29 m. Mart. a. 1927 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.3.0.1.19) scripsit se dubitare de effectū itineris, quod Archiabbas in insulas Philippinas fecit. Nam condicionem ibidem vigentem nondum esse perspicuum.

tionem in insulis Philippinis bonae spei esse.<sup>26</sup> Ottiliani ergo ibidem operari perrexerunt.<sup>27</sup>

#### **4.10.2.4. De aliis inceptis propositisque**

Ut aliquatenus compleatur conspectus rerum exterarum, quae tempore Archiabbatis Norberti Weber factae sunt, proposita, quae Ottilianis allatae sunt, atque pauca conamina, quae ad effectum adducere conati sunt, breviter exhibere volumus.

Variae interrogationes, ut fundationes faceret atque ut missiones susciperet, Congregationi Ottiliensi iam satis mature positae sunt, etiamsi causae atque scopi, ex quibus eadem afferebantur, erant diversae. Sic mense Februario a. 1912<sup>i</sup> Congregatio de Propaganda Fide Ottilianis Praefecturam Apostolicam Nigrofluminensem<sup>28</sup> in Brasiliā sitam obtulit et Abbatem Norbertum Weber interrogavit, num Benedictini Ottiliani hōc munus suscipere vellent.<sup>29</sup> Tamen hōc propositum non accipiebatur.<sup>30</sup> Suspicandum autem est extentionem in Americam meridionalem Abbatii Norberto Weber illo tempore non opportunam visum esse, quia solum paucis annis ante, id est anno 1909<sup>o</sup>, Ottiliani fundationem in Coreā incohaverant,<sup>31</sup> ad quam sustentandam stabiendiisque Patres Fratresque necessarii erant.

Similiter mense Aprili a. 1913<sup>i</sup> Congregatio de Propaganda Fide Abbatii Norberto Weber proposuit, ut Ottiliani in provinciā Bihar in Indiā orientali sitā missionem susciperent.<sup>32</sup> Sed etiam ad hanc rogationem non positive respondebatur,<sup>33</sup> verisimiliter ex iisdem causis ac in proposito Brasiliano.

---

26 Cfr Bericht über die Sitzung des Spezialkapitels am 12. Januar 1926, p. 2 (ASO, K.3.1).

27 De sorte futurā huius fundationis cfr infra cap. 5.

28 Flumen Nigrum: *Rio Negro*. - Cfr Carolus EGGER: Lexicon Nominum Locorum. Rom 1977, p. 261; GRAESSE / BENEDICT / PLECHL: Orbis Latinus. Braunschweig 1972, 2, p. 81.

29 Cfr epistula Cardinalis Gotti die 22 m. Febr. a. 1912 ad Norbertum Weber directa (ASO, A.2.1.1).

30 Leander BOPP (1952), p. 69 (ASO, D II) rem breviter commemorat.

31 Cfr supra cap. 4.6.

32 Cfr epistula Cardinalis Gotti die 5 m. Apr. a. 1913 ad Norbertum Weber directa (ASO, A.2.1.1).

33 Cfr Leander BOPP (1952), p. 69 (ASO, D II).

In initio autem anni 1917<sup>i</sup> <sup>34</sup> propositum oblatum est, de quō Ottiliiani serio deliberaverunt. Nam episcopus Eichstettensis Iohannes Leo von Mergel cooperante Matthia Erzberger Imperialis Parlamenti legato interrogaverat, num Congregatio Ottiliensis Philippopolis<sup>35</sup> in Bulgariā gymnasium atque seminarium sacerdotale suspicere vellet.<sup>36</sup> Itaque die 14<sup>o</sup> m. Ian. a. 1917<sup>o</sup> in monasterium Suarzacense Archiabbas Norbertus Weber, Abbas Placidus Vogel Suarzacensis et Abbas Coelestinus Maier Svikkersperchiensis ad Capitulum speciale convēnērunt, ut hanc quaestionem fuse atque diligenter tractarent. Ex consultationibus apparuit capitulares nulla dubia generalia ad hōc inceptum suscipiendum habuisse et eos quoque putavisse difficultates, quae propter alias obligationes quoad Patres mittendos exstarent, in casū neccessitatis superari posse.<sup>37</sup> Tamen proposito assensi sunt tantummodo sub condicionibus quibusdam, nempe fundationem, si fieret, necessario esse debere Benedictinam et hanc quidem in formā Abbatiae Nullius.<sup>38</sup> Norbertus Weber hōc in conexū novum Abbatem futurum iam proposuit P. rem Chrysostomum Schmid.<sup>39</sup> Praeterea capitulares hanc fundationem solum suscipere voluerunt, si éadem in possessionem Congregationis Ottiliensis transiret et si

---

34 Anno 1917<sup>o</sup> videtur etiam fundatio in oppido Blomberg in Poloniā sito praeparata esse, quae tamen archiepiscopo Gnesnensi [*Gnesen*] resistente non fiebat. - *Cfr* Frumentius RENNER: Entwicklung. In: Leuchter 2 (1992), p. 24.

35 Philippopolis: *Plovdiv*. - *Cfr* Carolus EGGER (1977), p. 117; GRAESSE / BENEDICT / PLECHL (1972), 3, p. 148.

36 *Cfr* Protokoll zum Capitulum ad instar am 14. Januar 1917 (ASO, K.3.1). - *Cfr* etiam Leander BOPP (1952), p. 70 (ASO, D II); Cyrill SCHÄFER (2005), p. 85; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, pp. 143 sq.

37 *Cfr* Protokoll zum Capitulum ad instar am 14. Januar 1917, p. 3 (ASO, K.3.1). - Argumentum, quo capitulares putaverunt se generaliter assentiri posse erat in eo, quod dixerunt Bulgariam esse adhuc regionem missionarium.

38 *Cfr* Protokoll zum Capitulum ad instar am 14. Januar 1917, p. 4 (ASO, K.3.1). - Capitulares ad opinionem adducti sunt Abbatiam Nullius ibīdem ergendam (et hanc quidem immediate instituendam) esse omnino necessariam deliberatione, quā putaverunt aliter hierarchiā ecclesiasticā paulatim institutā difficultates exoriri, quibus labores frugiferi in dubio ponerentur. Praeterea existimaverunt Abbatia quādām erectā iustificari, cur ipsi Benedictini vocarentur. - Meā quidem sententiā hae sunt aliae causae ac illae, ex quibus anno 1927<sup>o</sup> Abbatia Nullius Lindiensis erecta est. - *Cfr* supra cap. 4.10.1.1.2.

39 *Cfr* Protokoll zum Capitulum ad instar am 14. Januar 1917, p. 5 (ASO, K.3.1). - Etiam quaedam alia nomina cooperatorum futurorum hic exhibentur.

auxilium pecuniarium ab variis institutionibus acciperent.<sup>40</sup> Deliberationes atque consultationes videntur ergo iam progressae fuisse et Ottiliani condiciones quōque locales ipsi inspicere voluerunt, sed etiam hōc propositum Bulgaricum - verisimiliter ex causis bellicis atque postbellicis - ad effectum non est adductum et deinde non iam quicquam de hac re audiebatur.

Condiciones, quae post primum bellum mundanum vigeabant, imprimis elec-tio missionariorum Germanorum ex Africā orientali, Archiabbatem adduxerunt, ut solutiones quasdam quaereret, quibus praeter alia missionariis quōque Africanis nova opera missionaria acquireret. Tali condicione ei opportunum esse videbatur, quod mense Octobri a. 1919<sup>i</sup> episcopus Petrus Paulus [*Pietro Pablo*] Drinot, qui dioecesi Huanuco in Peruviā sitae preeferat, interrogavit, num Ottiliani ibīdem parvum seminarium, paroeciam et missionem Indianorum adhuc condendam suscipere vellent.<sup>41</sup> Archiabbiati hōc propositum non displicuit et, ut idem acciperet, eodem mense Octobri consultationes cum episcopo Peruviano iam iniit.<sup>42</sup> Tamen in ipsum satis celeriter etiam dubitationes quaedam invaserunt, postquam primi missionarii Africani in Germaniam reverterunt. Idem enim omnimodo ad «Christianos suos» in Africam reverti voluerunt et in regione prorsus alia denuo incohare debere eis videbatur esse despactio laborum, quos annis praeteritis exanclaverant.<sup>43</sup> Itaque Norbertus Weber hac in quaestione paululum quidem cunctari coepit. Nihilominus consultationes continuavit, quae usque in annum 1920<sup>um</sup> etiam

---

40 *Cfr* Protokoll zum Capitulum ad instar am 14. Januar 1917, pp. 5 sq. (ASO, K.3.1).

41 *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2003), p. 95 et adn. 180; Frumentius RENNER: Nord- und Südamerika. In: Leuchter 4 (1993), pp. 275 sq.; Frumentius RENNER: St. Ottiliens Gründungen in Lateinamerika unter Erzabt Norbert Weber nach dem Ersten Weltkrieg. In: Basilius DOPPELFELD (ed.): Mönche und Missionare. Münsterschwarzach 1988, p. 103. - Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter 2 (1992), p. 31 adn. 35 et Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2005), p. 146 rem etiam breviter commemorant.

42 *Cfr* epistula Norberti Weber Kal. Nov. a. 1919 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1.Asien), ubi de contactū cum episcopo rettulit et scripsit se confidenter sperare fore, ut haec fundatio fieret.

43 *Cfr* epistula Norberti Weber die 26 m. Nov. a. 1919 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1.Asien), ubi difficultates suas explicit atque scripsit «*tali condicione sibi prorsus impossibile esse rem in Peruvia propositam suscipere.*» (Textus originaliter Theodiscus). - Sed subiunxit quōque se libentissime proposito assensurum esse, cum sperare posset fore, ut Ottiliani ibi modo vere Benedictino (aliter ac in Africa) incohare valerent.

ad statum quandam certum pervenērunt<sup>44</sup> et divulgatae quoque iam erant.<sup>45</sup> Sed definitive tota res in irritum cecidit et Ottilianis in Peruviam non ierunt.<sup>46</sup> Tamen effectum quandam hōc propositum Peruvianum habuit, cum hunc in modum oculi magis ad Americam meridionalem converterentur.

Magis generaliter, cum nondum ageretur de certā distinctāque regione, Congregatio de Propaganda Fide mense Aprili a. 1923<sup>i</sup> Ottilianis missionem in Sinis obtulit,<sup>47</sup> quod propositum scilicet reiectum est, cum Congregatio Ottiliensis illo tempore pro viribus suis iam nimios labores in Coreano Vica-

---

44 Sic ex. gr. Patres Fratresque novae fundationi Peruviana destinaabantur, ad quos pertinebant P. Lucius Roth, P. Philippus Lenz, Fr. Macarius Fuchs. - *Cfr* Frumentius RENNER: Nord- und Südamerika. In: Leuchter 4 (1993), pp. 275 sq.; Frumentius RENNER: Gründungen in Lateinamerika. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 103. - P. rem Lucium Roth cooperatorem in Peruvia fore etiam commemorat Thomas Spreiter in diario suo (Tagebuch, 11.4.1921 (ASO, A.1.8.1)).

45 In periodico, q.e. Katholische Missionen 49, 1920, p. 69 (Missionsrundschau) legitur Ottilianos seminarium sacerdotale, paroeciam atque postea missionem Indianorum in Peruvianā dioecesi Huanuco suscepturos esse. - Mirum in modum in eodem periodico Katholische Missionen 50, 1921/22, p. 73 (Das deutsche Missionsfeld: 3. Neue deutsche Missionsfelder) divulgatum est Ottilianos haec munera anno 1920<sup>o</sup> suscepisse, quamquam hoc numquam factum est.

46 Dicitur inceptum ad effectum adductum non esse, quia episcopus Drinot pecuniam itinerariam quidem misisset, sed éadem ad Ottilianos non pervenisset. Cum ergo Ottilians nescirent, quid esset, nihil factum esse. - *Cfr* Frumentius Renner: Entfaltung. In: Leuchter 2 (1992), p. 31 adn. 35; Frumentius RENNER: Nord- und Südamerika. In: Leuchter 4 (1993), p. 276; Frumentius RENNER: Gründungen in Lateinamerika. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 103. - Etiamsi illa res de pecuniā non allatā fortasse ita se habuit, tamen certe non erat causa principalis, cur fundatio non esset facta, et praeterea renuntiatio officialis ad episcopum directa erat necessaria.

47 Epistula Villelmi van Rossum die 23 m. Apr. a.1923 ad Norbertum Weber directa (ASO, A.2.1.1): «*Inter regiones, ubi Missiones Catholicae nunc peculiari libertate gaudent et Nomen Christianum cum honore excipitur, Respublica Sinensis merito adnumeratur. Hinc sacrum hoc Consilium Christiano Nomini Propaganda omnibus mediis Evangelii praedicationem illic intensius promovere intendit.*

*In hunc finem Paternitatem Tuam rogat, ut videat si ista florens Congregatio Ottiliensis pro missionibus exteris, cui digne praees, velit missionem in amplissimo territorio Sinensi gubernandam suspicere.*

*Dum tuam responsionem praestolor, quam benevolam exspecto, Tibi gratias refero atque Deum oro, ut Te diutissime sospitat atque conservet.»*

Rem ipsam breviter commemorat etiam Leander BOPP (1952), p. 70 (ASO, D II).

riatu suo Wonsan haberet.<sup>48</sup> Similiter Norbertus Weber anno 1926<sup>o</sup> Abbatis assistentibus interrogatis<sup>49</sup> ad propositum, qua Congregatio de Propaganda Fide missionem in Islandiā suscipiendam obtulit, negative respondit easdem causas afferens, nempe aliis missionibus exstantibus neque vires neque numerum missionariorum neque pecuniam sufficere.<sup>50</sup>

Paulo aliter res se habuerunt, cum ageretur de quaestione Iaponicā. Nam anno 1927<sup>o</sup> cogitatio fundationis in Iaponiā facienda non est exorta ex Congregatione de Propaganda Fide neque ex aliquo episcopo locali, sed Ottilio P.ri Andreae Eckardt, qui illo tempore erat missionarius in Coreā, talia in mentem venerunt. Idem enim suā sponte cum repraesentantibus ecclesiasticis Iaponiae consultationes iniens fundationem in Iaponiā instigare conatus est.<sup>51</sup> Nescio, qualem auctoritatem se habere P. Andreas Eckardt illis in colloquiis significaverit, sed mense Martio a. 1927<sup>i</sup> Delegatus Apostolicus Iaponiae Marius Giardini officialiter ad Apostolicum Vicarium episcopumque Bonifatium Sauer se convertit certas quaestiones ponens, quae ad fundationem futuram atque ad modum progrediendi spectabant.<sup>52</sup> Bonifatius Sauer

---

48 Itaque Archiabbas Norbertus Weber etiam inceptum repudiavit, quo Congregatio de Propaganda Fide mense Ianuario a. 1924<sup>i</sup> magnam partem Manciuriae Septentrionalis tradere conata est. - *Cfr* supra cap. 4.10.1.2, adn. 85.

49 *Cfr* Bericht über die Sitzung des Spezialkapitels am 12. Januar 1926, p. 2 (ASO, K.3.1).

50 *Cfr* epistula Norberti Weber die 28 m. Febr. a. 1926 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, Apr 420); epistula Norberti Weber die 14 m. Apr. a. 1926 ad Monacensem Nuntium Apostolicum directa (ASO, A.2.1.4).

51 P.rem Andream Eckardt rem instigavisse etiam appareat ex epistulā Marii Giardini, Delegati Apostolici Iaponiae, die 19 m. Mart. a. 1927 ad Bonifatium Sauer directā (ASA, Apr 585).

De re ipsā breviter Cyrill SCHÄFER: Territorialabteien als Ausgangspunkt der Benediktinermission. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 426 adn. 53; Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 178 adn. 60, qui tamen hōc in conexū partem, quam P. Andreas Eckardt egerat, non commemorat.

52 *Cfr* epistula Marii Giardini die 19 m. Mart. a. 1927 ad Bonifatium Sauer directa (ASA, Apr 585). - Praeter alia idem etiam interrogavit, quis responsalitatem huius fundationis habiturus esset, utrum Congregatio de Propaganda Fide an Congregatio Ottiliensis an alia Congregatio Benedictina an Benedictinorum Abbas Primas. Haec quaestio Delegato videbatur esse maximi momenti, cum «*non esset Congregatio de Propaganda Fide, quae hanc rem rogaret, sed ipsi Benedictini, qui eam proponerent.*» (Verba originaliter Francogallica). - Haec sententia est scitū digna, quia Delegatus revera putavisse videtur ipsos Benedictinos, speciatim Ottilianos, talem fundationem illo temporis momento desideravisse.

Delegato immediate respondit eique clare, distincte atque fuse explicit neque semet ipsum neque Congregationem Ottiliensem hōc temporis momento de ullā novā fundatione cogitare afferens causas iam notas, nempe omnibus missionibus fundationibusque Ottilianis iam exstantibus et vires et viros deesse atque praeterea pecuniam ad novum inceptum non sufficere.<sup>53</sup> Suasit autem Delegato, ut in hac re ad Congregationem Beuronensem se converteret. Haec ergo cogitatio fundationis Iaponicae hunc in modum officialiter refutata erat, tamen ipse P. Andreas Eckardt hōc desiderium suum non depositat atque in īdem insistebat.<sup>54</sup> Sed haec pertinacia mansit sine effectū.

Etiamsi haec omnia proposita, quae modo enumerabantur, sive statim reprobata sunt sive numquam revera incohata sunt, tamen inde apparet auxilium atque opera Congregationis Ottiliensis aliis in terris quaesita fuisse.

Denique duo incepta commemoranda sunt, quae quidem revera instituebantur, sed non nimis diu exstabant. Primo agitur de monasterio quodam, cui nomen erat «Los Cabos» et quod non longe ab oppido Hispanico Oveto<sup>55</sup> situm erat.<sup>56</sup> Hoc monasterium pertinebat ad Congregationem Sublacensem et medio anno 1922º Ottilianis oblatum est, ut īdem susciperent. Consultatio-

---


53 Cfr epistula Bonifatii Sauer die 22 m. Mart. a. 1927 ad Marium Giardini directa (ASA, Apr 585). - In initio epistulae Bonifatius Sauer scripsit P.rem Andream Eckardt post redditum suum ex itinere Iaponico ipsi quidem de colloquis ibi habitis narravisse, sed se ipsum huic rei nullum pondus imposuisse. Tamen post officialem rogationem Delegati (et propter alias litteras interea allatas) sibi necessarium esse, ut ageret.

54 Itaque P. Andreas Eckardt die 27 m. Jul. a. 1927 epistulam longam (septem paginarum) ad Fidelem von Stotzingen direxerat (ASA, APr 421), quā Abbatii Primati necessitatem huiusmodi fundationis exhibuit atque fuse deliberationes directorias protulit, quomodo talis fundatio fieri posset.

Scitū autem digna hōc in conexū sunt quaedam sententiae, quas Bonifatius Sauer in epistulā die 28 m. Jul. a. 1927 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASA, APr 421) protulerat. Ibīdem enim scripsit se opiniones suas de fundatione Benedictinā in Iaponia faciendā Abbatii Primati per occasionem exhibitum esse. Et subiunxit, quod attinet ad P.rem Andream, se Abbatii Primati suadere, ut cautionem quandam adhiberet, cum ei id deesset, quod Sanctus Benedictus «discretio» appellaret. Se ipsum iam multas gravesque curas propter P.rem Andream habuisse.

55 Ovetum: *Oviedo*. - Cfr Carolus EGGER (1977), p. 232; GRAESSE / BENEDICT / PLECHL (1972), 3, p. 88.

56 De hac fundatione cfr Leander BOPP (1952), pp. 66 sq. (ASO, D II); Frumentius RENNER: Nord- und Südamerika. In: Leuchter 4 (1993), p. 276; Frumentius RENNER: Gründungen in Lateinamerika. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), pp. 103 sq.; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter 2 (1992), p. 31 adn. 35; Cyrill SCHÄFER (2003), p. 102.



P. Otto Hofstetter.  
[ASO, A.1.1.2, PA Hofstetter.]

nibus habitis in Capitulo speciali anni 1923<sup>i</sup> decernebatur hōc conamen esse faciendum.<sup>57</sup> Superior destinatus erat P. Lucius Roth, qui linguae Hispanicae erat peritus. Idem die 5<sup>o</sup> m. Maii a. 1923<sup>o</sup> ad monasteriolum Hispanicum pervenit. Mensibus insequentibus sequebantur P. Emmeramus Fahrnholz, P. Cornelius Vogl, P. Otto Hofstetter, Fr. Ansgarius Griesmaier, P. Osvaldus Friedl, Fr. Augustinus Wurzer.<sup>58</sup> Praeter officia monastica labores, qui ibi ex-anclati erant, spectabant imprimis ad curam animarum in ipso vico exhibendam et ad institutiones scholares, quae in scholā elementariā praebebantur.<sup>59</sup> Tamen hōc incepturn Hispanicum satis celeriter iterum depositum est, quia - ut dicebatur - nulla spes alicuius progressū esset.<sup>60</sup> Videtur finis iam factus esse sive in fine anni 1923<sup>i</sup> sive in initio anni 1924<sup>i</sup>.<sup>61</sup> Monachi, qui ibi cooperati sunt,

57 Cfr Beschlüsse des Spezialkapitels, 22.1.1923 (ASO. K.3.1).

58 Nomina exhibent Leander BOPP (1952), p. 67 (ASO, DII) et Frumentius RENNER: Nord- und Südamerika. In: Leuchter 4 (1993), p. 276; Frumentius RENNER: Gründungen in Lateinamerika. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 104. Frumentius Renner loco F.ris Ansgarii Griesmaier indicat F.rem Ansgarium Müller, qui tamen anno 1927<sup>o</sup> demum vota sua protulerat (cfr Necrologium 2000, p. 35, nr 221).

59 Leander Bopp (1052), p. 67 (ASO, D II) scribit praeterea scholam agriculturae ab Ottilianis institui exspectatam esse.

60 Sic rem explicant Leander BOPP (1952), p. 67 (ASO, D II) et Frumentius RENNER: Nord- und Südamerika. In: Leuchter 4 (1993), p. 276; Frumentius RENNER: Gründungen in Lateinamerika. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 104. - Frumentius Renner suspicatur hanc mancam possibilitatem progressū etiam fuisse causam, cur Congregatio Sublacensis ab hōc monasteriō discedere voluisse. Praeterea idem adnotat agri ibi satis steriles fuisse.

61 Hos terminos temporales indicat Frumentius RENNER: Nord- und Südamerika. In: Leuchter 4 (1993), p. 276; Frumentius RENNER: Gründungen in Lateinamerika. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 104. - Videtur initium finiendi iam mense Septembri a. 1923<sup>i</sup> factum esse, quia tunc P. Otto Hofstetter et Fr. Augustinus Wurzer in Venetiolum se contulerunt. Itaque indicium Frumentii RENNER: Entwicklung. In: Leuchter 2 (1992), p. 31 adn. 35, quo scribit in initio anni 1924<sup>i</sup> in monasterio «Los Cabos» quinque Patres et duo Fratres versatos esse, non prorsus quadrat. - Leander BOPP (1952), p. 67 (ASO, D II) scribit P.rem Osvaldum Friedl mense Martio a. 1925<sup>i</sup> in Archiabbatiam revertisse et

sive ad Archiabbatiam reverterunt sive decursū temporis ad alia Ottiliensis monasteria in extraneis regionibus sita missi sunt, plerique vero in Venetiolam.<sup>62</sup>

Similiter non diu exstitit fundatio, quae in oppido Spocano<sup>63</sup> iuxta Lacum Libertatis<sup>64</sup> in Americae Septentrionalis Civitate Vasintoniā<sup>65</sup> condita est.<sup>66</sup> Causa, cur ibi domus quaedam Ottiliana institueretur, erat éadem ac in Americanā fundatione Neotonensi,<sup>67</sup> nempe necessitas, quā ex loco certo atque quadamtenus stabilito pecunia aliaque subsidia missionis colligi possent. Ille quoque locus non tam facile inveniebatur, cum episcopi Americani tales «mendicantes» non tam libenter in dioecesibus suis haberent. Aliter tamen egit episcopus Spocanensis, cum idem Benedictinis Ottilianis aream condendi paeberet. Dicuntur autem Ottiliani paulisper cunctati esse, num illam aream acciperent. Nihilominus hōc conamen denique fecerunt. Talis vero haesitatio non est nimis mirandum, cum comperiamus solum quadrantem areae ex agris pratisque constitisse, reliquam maioremque partem ex silvis,<sup>68</sup> quā de causā agricultura efficax non ita exspectanda erat. Itaque illi, qui fundationem praediumque curaverunt, id est P. Norbertus Wüst, P. Iulius Landwehr et quattuor Fratres,<sup>69</sup> multos gravesque labores impendere debu-

---

denique etiam P.rem Lucium Roth. Sed P. Lucius iam mense Augusto a. 1924<sup>i</sup> in Coream missus erat (*cfr* Necrologium 2000, p. 74, nr 481).

- 62 Emissi sunt in Venetiolam P. Otto Hofstetter (15.9.1923, *cfr* Necrologium 2000, p. 123, nr 1101), Fr. Augustinus Wurzer (26.9.1923, *cfr* Necrologium 2000, p. 120, nr 1070), P. Emmeramus Fahrholz (1.1.1925, *cfr* Necrologium 2000, p. 73, nr 587), P. Cornelius Vogl (1.4.1925, *cfr* Necrologium 2000, p. 74, nr 590). In Coream missus est P. Lucius Roth (17.8.1924, *cfr* Necrologium 2000, p. 62, nr 481) et in Africam orientalem missus est P. Osvaldus Friedl (7.3.1926, *cfr* Necrologium 2000, p. 2000, p. 35, nr 223).
- 63 Spocanum: *Spokane.* - *Cfr* Carolus EGGER (1977), p. 296; GRAESSE / BENEDICT / PLECHL (1972), 3, p. 410.
- 64 *Lake Liberty.*
- 65 Vasintonia: *Washington.* - *Cfr* Carolus EGGER (1977), p. 334; GRAESSE / BENEDICT / PLECHL (1972), 3, p. 578.
- 66 De quibusdam explicationibus ad hanc fundationem spectantibus *cfr* Leander BOPP (1952), p. 68 (ASO, D II); Cyrill SCHÄFER (2003), p. 102 adn. 196; Frumentius RENNER: Entfaltung. *In:* Leuchter 2 (1992), p. 31. Rem tantummodo commemorat Godfrey SIEBER (1992), p. 133.
- 67 *Cfr* supra cap. 4.10.2.2.
- 68 *Cfr* Leander BOPP (1952), p. 68 (ASO, D II).
- 69 Nomina indicat Leander BOPP (1952), p. 68 (ASO, D II).

erunt, ut rem sustentarent. Nihilominus satis celeriter apparuit fundationem variis ex causis teneri non posse.<sup>70</sup> Videtur autem haec domus Spocanensis inter annos 1923<sup>um</sup> et 1925<sup>um</sup> permansisse.<sup>71</sup> Fundatione sublatā reliqui monachi Ottiliani ad monasterium Neotonense transmigraverunt.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 203, 2016, pp. 37-54]

- 
- 70 Cyril SCHÄFER (2003), p. 102 adn. 196 adnotat fundationem Spocanensem abiectam esse, quia propter propinquum litus balneandi magnumque deversorium de monasticā quiete internā timendum fuit.
- 71 Spatium temporis videtur non omnino clarum esse. Nam Godfrey SIEBER (1992), p. 133 spatium inde ab anno 1923<sup>o</sup> usque ad annum 1925<sup>um</sup> indicat. Tamen P. Norbertus Wüst iam die 3<sup>o</sup> m. Ian. a. 1922<sup>o</sup> illuc missus erat (*cfr.* Necrologium 2000, p. 60, nr 463). Leander BOPP (1952), p. 68 (ASO, D II) scribit praedium Kal. m. Mart. a. 1924<sup>o</sup> susceptum esse. Cyril SCHÄFER (2003), p. 210 adnotat domum Spocanensem anno 1923<sup>o</sup> esse conditam et p. 102 adn. 196 commemorat contractum die 17<sup>o</sup> m. Ian. a. 1924<sup>o</sup> cum episcopo locali initum, quo idem Ottilianis aream praebuit, in quā sumptibus dioecesis schola quaedam unā cum oecotrophō erigeretur. Ottilianos minimum usque ad mensem Octobrem a. 1924<sup>o</sup> Spocani mansisse inde concludi potest, quod Fr. Laurentius Brenner die 8<sup>o</sup> m. Oct. a. 1924<sup>o</sup> ibidem vitā funetus est atque etiam illo in loco sepultus est (*cfr.* Necrologium 2000, p. 25, nr 132).